

profectu et augmento peragravit, ad trutinam revocentur, totum quasi mundum, ut ita dicam, penetrasse dici potest. Unde B. Laurentius Justinianus in sermone quodam de hoc sancto dicit quod fecerit « innumerabilium conversionem populorum. » Et Carthusianus in eodem sermone dicit, « copiosissimum. »

4. — Considerare quoque hoc loco possumus miram vulnerum Redemptoris nostri efficaciam, siquidem tametsi solae eorum aperuerint cicatrices, nullusque inde pro tunc sanguis manarit, quin potius incorruptibilia et splendescientia fuerint, attamen in Thoma antea obstinato et contumaci, atque in amore Redemptoris sui adeo gelido, ineredulo et arrogante, adeo vividos produxerunt vere fidei, sapientie altissimae, charitatis, humilitatis, omniumque aliarum virtutum sensus et affectus, ut proinde S. Bonaventura de hisce vulneribus scribat, quod sunt « fundamentum fidei, erectio spei et « inflammatio charitatis; » unde et sancta Mater

Ecclesia etiam per hoc totum tempus Paschale, amaræ passionis Christi, nobis valde efficaciter inculcat memoriam, dum nobis toto Paschali tempore, in Officio divino Crucis commemorationem facere præcipit, ut hac ratione statum gratie, quem sanctis hisce præteritis diebus nobis acquisivimus, perenniter continuare valeamus; ad hoc enim vel maxime proderit, si oculos cordis nostri in sacrosancta Christi vulnera defixos teneamus, serio considerando quanto pretio peccata nostra Deo constiterint. Unde S. Augustinus, *Serm. iv ad frat.*, ait : *Ut pellem vittorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus.* Porro S. Antonius Paduanus dicit, quod Redemptor per hanc vulnerum suorum exhibitionem, non solum S. Thomam, sed et omnes nos, quotquot sumus, fideles enixe roget, ne illa per peccata nostra denuo aperiatur : « Ostendit rogans, « ut sibi compatiens, clavus peccatorum iterum ipse sum non crucifigamus. »

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. X, VERS. 11

11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.
 12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt ovæ propriæ, videt lupum venientem, et dimittit ovæ, et fugit, et lupus rapit, et dispergit ovæ.
 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.
 14. Ego sum pastor bonus, et cognosco ovæ meas, et cognoscunt me meæ.
 15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis.
 16. Et alias ovæ habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

VERSUS 11.

Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

Ego sum pastor.

1. — Sancta Mater Ecclesia opportune nobis, in hac Dominica, Evangelium quoddam proponit, in quo se Redemptor noster, non semel, sed sæpius pastorem bonum appellat, id quod antea in ipsis effectibus demonstravit, dum pro salute gregis sui, vitam suam prodegit, et post resurrectionem suam, per quadraginta dierum spatium hic in terris, inter nos mortales commoratus, nihil aliud adeo sollicitè facere satagit, quam ut dispersum gregem suum in unum simul congregare studuerit, ad Ecclesiam ovile eundem reducere, eoque fine suos quoque erudiendo Apostolos, *Act. Ap.*, 1, 3 : *Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.*

Quibus proinde cum peccata remittendi potestatem dedisset, prouti præcedenti Dominica vidimus, nunc boni Pastoris et Prælati ecclesiastici partes, et officium plenius expectare constituit.

2. — Porro ex quo a mortuis gloriosus et immortalis resurgens adversus mortem et infernum victor evasit, merito sibi gloriosiores speciosioresque titulos, nimirum Filii Dei altissimi, Regis regum, Dei exercituum, Regis glorie, vel alios similes sibi vendicare debuisset, nec tamen id fecit, sed pastoris munus et titulum sibi assumpsit, titulum videlicet humilitatis et amoris, ut per hoc nobis insinaret, se in hoc glorioso tanteque majestatis statu humilitatem et benignitatem suam nequaquam deposuisse, idque, ut reor, ideo fecit, ut nos tanquam ovæ perditas sibi denuo compararet et ad gregem suum reduceret, in cuius evidens signum, eodem, quo resurrexerat die, duos et discipulis suis errabundos, in Emmaus contendere videns, ipse quoque

assumpta sibi viri peregre proficiscentis specie, eorum se societatis adiunxit, cum iis tandem progressus fuit, donec eosdem affabilitate sermonum suorum in viam rectam, id est, in notitiam et fidem resurrectionis suæ perduceret.

3. — Chrysologus, in sermone vi in *Psalm. cxxxix*, ita scribit : « Deus mississimi pastoris elegit officium, « personam pastoris induit, ut vagos populos, dispersas longe lateque gentes velut errantes ovæ in unum pastor misericors congregaret. » Prout hodie in Epistola ad Missam lecta, quæ ex Epistola I S. Petri, II, 25, ejus nimirum, cui dixerat : *Th es pastor ovium, princeps Apostolorum*, desumpta fuit, hisce claris verbis a nobis lectum fuit : *Eratis sicut ovæ errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem*; Gentiles enim ad cæli ovile a Deo electi, quales nos omnes eramus, per idololatriam, aliorumque millenorum errorum prærupta dispersi, ad inferni barathrum irreparabiliter ambulabant. Unde Isaias, *LIII*, 61, ait : *Omnes nos quasi ovæ erravimus, unusquisque in viam declinavit*, imo quilibet populus inter gentes suis erat particularibus erroribus imbutus, adeoque in tot præruptis homines gentiles tunc periclitabantur, quot erant profana numina, quæ adorabant, Jovis nimirum, Saturni, Veneris, imo et crocodilorum, cepearum et porrorum simulachra; et Roma ipsa, ut S. Leo, in *nat. Apost. Petr. et Paul.*, scribit : « Magnam sibi videbat assumpsisse religionem, « quia nullam respuebat falsitatem, omniumque « gentium serviebat erroribus. » Hujus igitur gregis dispersioni amatissimus hic Pastor compatiens, dum vix jam a mortuis resurrexerat, Petrum ad se accessit, eique trina vice, quoad charitatis virtutem examinato, gregem hunc consignavit, ut eum in salutaribus Evangelicæ doctrinæ suæ pascuis pasceret et enutrire, ac demum ad cæli ovile perduceret, *Joan.*, *xxi*, 17 : *Pasce agnos meos, pasce ovæ meas*. Id quod multis sæculis antea ab Ezechiele *xxxiv*, 22, prædictum fuerat; ubi Deus per os Prophetæ ita loquitur : *Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas*.

4. — Porro Deus hunc Pastorem titulum maximi facit, siquidem dum sub figura parabole de ove perditâ, redemptionis humane naturæ mentionem faceret, semetipsum nobis sub specie pastoris ob oculos posuit, qui eandem post multos sudores et labores quæsitam ac demum inventam, suisque humeris impositam, salvam et incolumem ad ovile reportavit. Quæ omnia plane conformia erant illi, quod diu ante Prophetam Evangelicam conscribere jussisset, qui postquam dixisset, *LIII*, 16 : *Omnes nos quasi ovæ erravimus*, immediate sequentibus verbis exponit, qualiter omnes nostri errores, ut condigna satisfactione redimerentur, hujuscæ Pastoris humeris impositi fuerint : *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum*. Unde S. Ambrosius, in *Psalm.*

CXVIII, dicit : « Pro rationali grege, Christus seipsum « passioni corporis non negavit, ovem lapsam, ut « crucis suæ humeris superponens pui oneris functione recrearet. » Tertullianus, in annalibus Ecclesiasticis relatus, testatur olim devotis Christi fidelibus in usu positum fuisse, ut in calicibus, in quibus pretiosus Christi sanguis consecrabatur, Pastorem quemdam in humeris suis oviculum bajulantem effigierent, ut hac ratione Sacerdotes ad imitandam Salvatoris charitatem excitarent : « Ubi est ovis « perditâ a Domino requisita, et humeris ejus re « vecta. » Hæc eadem figura, ut Baronius scribit, in cæmeteriis antiquis quoque passim conspiciuntur, atque e primis nascentis Ecclesiæ temporibus, in pastorum et prælatorum ecclesiasticorum maxime insignium vestibus sacerdotalibus, præcipue in pallio archiepiscopali expressa geritur, de quo Isidorus Pelusita, *lib. I, Epist. 136*, ita scribit : « Illud enim amiculum ex lana contextum, quod « illi gestant humeris, ovis illius, quam Dominus « aberrantem quæsitit, inventamque humeris suis « sustinuit, pellem designat. » In ecclesiis quoque S. Joannis Lateranensis, S. Laurentii extra muros, S. Sebastiani, SS. Cosmæ et Damiani, hæc Christi imagines, similitudinem pastoris, oviculum in humeris suis bajulantis referentes, expresse conspiciuntur, ad denotandum nobis, quantum Redemptor noster de hoc nomine et officio pastoris gloriatur et gaudeat, in hujus namque signum primitivi Christiani ipsum in hac figura delineare solebant.

5. — Considerari etiam hoc loco meruit, quod Christus in tugurio quodam, seu pastorum habitaculo nasci, in præsepio quodam, ad quod greges duci solebant, jam natus reponi, ac demum mox ut natus fuit primo omnium loco pastoribus recipi et visitari elegerit; quibus etiam de cælo legatum misit, qui eos suæ facerent nativitatibus jam factæ conscios. S. Ambrosius, *lib. II in Luc.*, ad id quod pastores in illa nocte vigilasse dicantur, sese reflectens, dicit : *Bone pastores vigiliant, quos bonus Pastor informat.*

Bonus.

6. — Porro Filius Dei incarnatus sæpius quidem titulum sibi lucis, Salvatoris, vite, veritatis, Regis, assumpsisse legitur, nunquam tamen sibi hunc titulum, *bonus*, vendicasse reperitur, imo dum aliquando hoc titulo honoraretur, eundem non sine indignatione eum recepisse constat; *Matt.*, *xxi*, 16 : *Et ecce unus accedens ait illi : Magister bone, quid boni factam, ut habeam vitam æternam? qui dixit ei : Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus, quasi dicere voluisset quod bonum esse proprietatis quædam sit, quæ soli Deo convenit. Cur igitur eadem increta Sapientia, nunc sibi melipsi nomen imponit, dum se non Deum, sed pastorem appellat? utique hic dicere convenit, Christum*

dicere voluisse quod, sicut nullus bonus est, nisi Deus, ita quoque nullus fuerit hactenus ea, qua ipse bonitate præditus, quoque hic titulus divinitatis suæ et curæ ejus pastorali ex æquo conveniat. Tolemus ait: « Est autem articulus græcus appositus duplex; nempe, ego sum pastor, ille bonus, ut per hoc significet Dominus se esse illum verum pastorem, promissum in Prophetis. » Albertus Magnus ait: « Bonus in natura; bonus in gratia, bonus in pastorali cura. » Cajetanus considerat Christum non solum dixisse: *Ego sum pastor*, sed adjunxisse: *ille pastor*, « et si ambigeres quis est ille, subjungitur: *ille bonus*, ad significandum quod est summus pastor, summe bonus. » Lucas Brugensis ita exponit. « Unus et singularis per Prophetas nominatim *Ezech.*, xxxiv, 23, promissus pastor magnus ovium, quem vocat Paulus, *Hebr.*, xiii, 20, *Principem pastorum, et Episcopum animarum nostrarum, et Petrus, Epist.* 1, cap. ii. »

7. — Tertullianus de oratione Dominica tractans, primamque illius dictionem, scilicet, *Pater*, ponderans, hæc pulchra verba habet: « Tam pater nemo, tam pius nemo, » ita quoque de hoc pastore asserere possumus et dicere: Tam pastor nemo, tam bonus nemo. Inter alia Davidis pastorali generosa facinora, hoc quoque ex ipsiusmet Davidis ore habemus, *1 Reg.*, xii, 34, dicentis: *Pascibat gregem servus tuus, et veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis, et persequeretur eos, et percutiebant erubescunt de ore eorum.* Longe præstantiora sunt hujuscæ nostri optimi pastoris, pro grege suo præstita opera; quot enim animas bonus hic pastor et luporum infernalium faucibus liberavit? et maxime leonis illius, de quo supremus pastor, *1 Petr.*, v, 8, ita scribit: *Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, querens quem devoret?* In Offertorio Missæ pro defunctis, hæc enim verbis invocamus: « Libera animas omnium fidelium de ore leonis. » Hujuscæ boni pastoris fideliter et sollicitè sibi impensam curam David gratâ mente recolens, *Psal.* xxii, 2, dicit: *In loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectioem educavit me, atque ideo deinceps pergit ostendere, qualiter nihil sibi adversi metuat, quamdiu sub protectionis ipsius umbra constitutus fuerit: Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo malo, quantum tu mecum es.*

8. — Jacob Patriarcha optimi et vigilantis pastoris typum expressit, dum inter cætera, *Gen.*, xxxi, 40, dicit: *Die noctuque astu urebar et gelu, fugebat somnus ab oculis meis.* Pari quoque modo Christum adeo se vigilantem exhibuit, ut sub mediam noctem, quando omnes vitiorum nostrorum lethargo sepulti nostrique ipsius prorsus oblii eramus, de coelo descenderit, *Sap.*, xviii, 14: *Dian quietum silentium continent omnia et nec in suo cursu medium iter habent, omnipotens sermo tuus de coelo a regalibus sedibus venit;* sanguinem quoque sudaverit, *Luc.*,

xxii, 44: *Sudor ejus sicut guttae sanguinæ;* summe fatigatus fuerit, *Jo.*, iv, 6: *Fatigatus est itinere;* denique oculis suis somnum nunquam indulerit, *Psal.* cxx: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel,* adeoque divino huic pastori adaptari possit, quod de S. Cypriano S. Augustinus scripsit: « Vicina corporis morte, non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis, et cura tuendi » Dominici gregis, usque ad extremum vite hujus diem mente sobria tenebatur. » Ipsemet Apostolus suis dixerat, *Luc.*, xii, 32: *Nolite timere, pusillus grex,* quibus verbis sollicitam ipsorum eis promisit custodiam, eandemque promissionem adimplevit, quia ut in horto Gethsemani, eorundem securitatis consuleret, suis penitus oblitus, nihil adeo curavit, quam ut illos et famelicorum luporum infernalium faucibus eriperet, *Joan.*, xviii, 8: *Si me quaeritis, sinite hos abire.* Hanc quoque tutelam curamque pastoralem circa tot animas electas quavis tempore, præcipue vero, quando Martyres in summis constituti erant persecutionum et certaminum procellis egregie exhibuit.

9. — In Evangelio S. Joannis, x, 3, Salvator inter alia boni alicujus pastoris præconia, hoc quoque recenset, quod distinctam et singularem habeat ovium suarum notitiam: *Proprios oves vocat nominatim.* Hic autem cælestis pastor non solum unamquamque animam cognoscit et diligit, verum etiam pro unaquaque, si id necessitas posceret, suam positurus esset animam, id quod Apostolus his verbis testatur, *Gal.*, ii, 20, dum ait: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Circa quæ verba Chrysostomus asserit quod si non nisi unica dunlaxat anima in mundo redimenda fuisset, divinus hic pastor pro illa redimenda in ipsas mortis fauces sese utique conjecturus fuisset. Hujus quoque curæ et providentiæ pastorali, S. Augustinus manifestum perhibet testimonium, dum ait: « Sic curat unumquemque nostrum, tanquam solum curet, et sic omnes tanquam singulos. »

10. — Boni pastoris proprium est, veste se pellicea induere, ut gregis sui velleribus exactis sese conformet, hæcque ratione ab iisdem magis diligitur, et timeatur minus. Porro Deus in veteri Testamento: *Deus exercituum* appellatus, tantum illius temporis hominibus inculcabat timorem, ut Moysi dixerint, *Exod.*, xx, 19: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Unde et Isaias, i, 3, ait, quod fuerit *justitia cingulum lumborum ejus;* at vero nunc, ut hunc nobis timorem propulsare, nostra hac mortalis carnis trabea vestire se voluit, *Philip.*, ii, 6: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serviti accipiens, et habitu inventus ut homo;* et ideo antequam S. Joannes Redemptorem nostrum primitus digito commonstravit, dicens: *Ecce Agnus Dei, Baruch jam dudum prophetizando,*

in, 38, dixerat: *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Porro diabolica crudelitatis Neronianæ adversum Christianos inventio fuit, qua illos ferarum pellicibus super indui jussit, ut canes feris dilaniandis assuefacti, illos quoque protinus dilaniarent, ne alias illos forte agnoscentes, in veneratione haberent; at longe ingeniosior modus ab hoc divino pastore adinventus est: cum enim sciret, quod, si in manifestâ divinæ majestatis et omnipotentia sue similitudine in mundo compararet, nullus adeo temerarius futurus esset, qui mortem ei inferre auderet, quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, ac proinde nunquam pro redemptione nostrâ vitam et sanguinem suum profusus esset, certum quemdam se sub hæc mortalitatis nostræ exuviis abscondendi modum adinvenit, ut hac ratione ad intendendam sibi mortem, Hebræorum adversus se odium et impios ausus provocaret, indeque in ipsos et universum genus humanum vitæ, eaque æterna derivari posset. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, dimmeraverunt omnia ossa mea, etc. *Psal.* xxi, 17, 18.

11. — Tam pastor nemo, tam bonus nemo. Enimvero pastores nostri gregem suum optime quem pascunt, non tamen id ex aliquo, quo illum prosequantur, faciunt amore, sed propter utilitatem, que in illos inde resultat; siquidem ex ovium lanis et pellicibus vestiuntur, ex carne vero et lacte earum nutriuntur; aliaque inde sibi comparant emolumenta; non vero sic Deus noster facit, cui Psalmista, *Psal.* xv, 2, libere dicit: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egess, et Psalmo* xlii, 12: *Si esuriere, non dicam tibi, meus est enim orbis terræ;* imo ipse egenus factus est, ut nos divites et locupletes efficeret: *Exinanivit semetipsum.* Neque ipse sibi a nobis vestes assumit, sed potius nos ipso vestiri debemus, unde Apostolus, *Philip.*, 7, nos exhortatur: *Includimini Dominum Jesum Christum.* Et tametsi ipse hæc nostra se carne vestiverit, id tamen non ad suam, sed nostram utilitatem, ab ipso factum fuit. Unde Eusebius Emissenus ait: « Suscepit humanitatem nostram, ut tribueret divinitatem suam; de nostro obtulit sacrificium, de suo contulit præmium. » Chrysologus denique, *Serm.* iii, Christum nulli rei adeo studuisse considerat, quam ut modum inveniret, quo totus noster fereat, quam tandem assecutus fuit, dum se in beneficium et utilitatem nostram, ex pastore in oviculum transmutare novit: « Christus ergo, » inquit Chrysologus, « sicut ovis, et volens, et tacens londetur, et ut togat illam, quam Adam primus contulit, nuditatem; velut agnus occiditur, ut peccatum totius mundi immolatus absolvat, ponit pro ovibus animam suam, ut impleat et pietatem pastoris, et curam. Tibi ergo Rex, tibi Sacerdos, tibi

Pastor, tibi sacrificium, tibi agnus, tibi ovis, tibi totum factum est, quod fecerat totum, et qui sibi nunquam tibi toties immutatur propter te varias monstratus in formis, qui manet unica sua majestatis in forma. »

12. — Nullus unquam pastor invenietur, adeo gregis sui amans et sollicitus, ut ad eripiendam et luporum faucibus oviculum manifesto se mortis exponat periculo, quia major habenda est estimatio hominis alicujus quam multorum animalium. Unde Lyranus super illa verba ita scribit: « Ad cuius intellectum sciendum, quod res melior non est exponenda periculo pro viliori, sed magis converso: vita autem hominis melior est simpliciter quam omnium brutorum; et ideo licet pastor brutorum, debeat aliquem laborem pro salute sui gregis sustinere, non tamen debet se morti exponere. » Hic autem cælestis pastor humanæ nature et rationalis animæ oviculum tanto in pretio habuit, ut vitam et sanguinem suum pro illa effluissem, optime collocatum et expensum esse censeat. Unde Eusebius Emissenus, *Homil.* ii de *Symb.*, ait: « Quam preciosus sis, si factorem forte non credis, interroga Redemptorem. » Qui idem in alia quidam Homilia offendit, Christum animæ nostræ oviculum tantum estimasse, quanti seipsum: « Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. » Valde ad hoc propositum considerari merentur illa S. Ambrosii verba, dicentis: « Ut servum redimeres, filium tradidisti. » Et S. Augustinus ad amabilissimum hunc pastorem conversus ait: « Dilexisti me, Domine, plus quam te, quia mori voluisti pro me. »

13. — Pastor aliquis suo siquidem gregi prospicere potest de herbis, quæ jam de facto a natura productæ sunt, ut tamen de novo recentes herbe progrediantur, efficere nequaquam potest; non sic pastor noster, qui unico a se prolato verbo, nimirum: *Germinet terra herbas viventes,* sed ab hinc annorum millibus et amplius terram, tot arbores, totque herbarum germina produxit in hominum pariter et animalium brutorum abundans nutrimentam; et quis pastorum unquam sibi venam indicii aut aperiri fecit, ut oves suas proprio suo sanguine potaret?

14. — Rupertus Abbas, *lib.* xi in *Joan.*, ait: « Cæteri quidem pastores digni sive idonei dicantur, hic autem solus pastor bonus, qui solus ita animam suam posuit pro ovibus, ut in sacramento corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat, sua carnis alimento satiare. »

15. — Hanc eandem ponderationem Chrysostomus, *Hom.* ix ad *popul.*, his verbis adducit: « Qui pastor unquam membris suis oves suas satiavit? Qui pastor oves proprio pascat cruore? Hoc unicuique fecit Christus, pastor infinite bonus, qui sic

« dilexit oves, quas redemerat, ut eas sue carnis « alimento satiaret. »

16. — Pastor gregem suum virga pastoralis percussis, eundem inflicta verbera et percussio- nis ictus sentire facit, quia dolorem ei inferunt; non vero sic fit per virgam, quam Evangelicus hic pastor noster manu sua versat; unde David, *Psal. xxii, 4*, dicebat: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*; quæ enim electis inferuntur tribulationes, gaudium illis afferunt, et consolationem magnam. Unde S. Paulus, de quo dictum est: *Vas electionis est, et*, protestabatur, *II Cor., vii, 4*, dicens: *Superabundo gaudio in omni tribulatione.*

17. — Alii pastores, interiores gregis sui necessitates et infirmitates penetrare et agnoscere nequeunt, ut illis prospiciant et compatiantur; non ita nobis a pastore nostro auditur, de quo Apostolus, *Hebr., iv, ait*: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris tentatum per omnia. Langores nostros ipse tulit*; imo ad hoc ut nobis compati possit, ipsemet ovis, id est, homo fieri voluit, sicutque, famam, frigus, defatigationes, omnesque alias penalitates nobiscum tolerare et experiri, *Hebr., ii, 16*: *Nisquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit; unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut miseris fieret.*

18. — S. Leo in quodam sermone, quem in die sue ad Papatum assumptionis anniversario habuit, ita scribit: « De profectu gregis gloriatur cura pastoris. » Ex quibus verbis, quousque bonitas hujus pastoris pertingerit, facile deducere possumus, utpote qui innumeris animabus beatis secum in cælo regnantibus, que sub ipsius ducatu et presidio æternam ovile ingressæ sunt, sanctitatem adeo eminentem infudit.

19. — Difficultas quædam nihilominus hoc loco moveri potest, quam scilicet ratione bonus pastor dici possit, qui ipsemet apud S. Mattheum, *x, 16*, dicit: *Ego mitto vos sicut oves in medio luporum?* ad vero D. Chrysostomus, *Hom. xxv in Matth.*, respondet: « Sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab ovibus lupi superabundant. » Frequens nos hactenus experientia docuit, Deum talem servis suis communicasse virtutem, ut persecutorum suorum corda adeo mirabiliter transmutarent, ut ex lupis oves mirabili fuerint metamorphosi conversi; unde idem præfatus Doctor dicit: « Quamvis ille sint in medio luporum et innumeris moribus lacerantur, non modo non consumptæ sunt, « verum etiam illas in sui naturam transmutarunt. » Unde sanctus idem Doctor truculentiam et feritatem merito reprehendit, dicens: « Erubescamus igitur, « qui longe diversa facientes, tanquam lupi in adversarios ruminis, nam quandam oves fuerimus, vincimus, etiamsi mille circumstant lupi; quodsi lupi « fuerimus, vincimur: tunc enim a nobis pastoris « auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit. »

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

20. — S. Augustinus hic dicit: « Amor in eo, « qui pascit oves in tam magnum debet spirituale « crescere ardorem, ut vincat etiam mortis natura- « lem timorem. » Merito autem S. Augustinus hanc timoris fugam, amoris dicit esse effectum, siquidem hic solus superare prævalet mortem: *Fortis est ut mors dilectio.* Unde Chrysologus, *Serm. xi, ait*: *Fortem faciat vis amoris, quia nil durum, nil amarum, « nil grave, nil lethale computat amor verus: Major enim charitatem nemo habet, ut animam suam ponat « quis pro amicis suis; » incomparabiliter vero hic amoris ignis in Christo ardentior fuit; nam cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Nunquam auditum fuit quod pastor aliquis pro gregis salute, vitam prodegerit, multo minus quod idipsum pro latorum ipsum dilaniare volentium salute præstiterit; solus idipsum et unicuique pastor noster effecit: « Admisit in se impias « furientium manus, » inquit S. Leo, *Serm. x de Pass.*, « que dum proprio incumbant scelere, famulante sunt Redemptori, ejus etiam circa interfec- « tores suos tanta erant pietatis affectio, ut « cruce supplicans Patri non se vindicari, sed illis « postulare ignosci. »*

21. — S. Cyrillus ait: « Definit, quoniam modo « bonum pastorem probari oporteat, ac ipsam ovi- « dem animam prodigere debere pro salute ovium « pugnantem docet, quod quidem per Christum « factum est. » At vero quærit hoc loco Chryso- « logus, *Serm. xi*, quoniam modo hæc mors pastoris gregi ejus utile esse potuerit, quando is post mortem ejus lupis cedebat in prædam: « Queramus « ergo, » inquit, « hujus que vis sit amoris. Pastor « pro ovibus morti, que ovibus imminet, occur- « rit, ut auctorem mortis diabolum novo ordine « captus caperet, victus vinceret, puniret occisus, « Processit oves pastor, ab ovibus non recessit, nec « illas dedit lupis, sed lupos tradidit illis, quibus « donavit suos elidens sic prædones, ut occisæ « viverent, laniata resurgerent. »

22. — Porro quomodo hoc, quod est animam suam dare pro ovibus suis intelligendum sit. Hugo Cardinalis his optime declarat: « Animam suam « vitam temporalem dat, vel ponit, non invitum, « sed libens et spontaneus, pro ovibus suis pasce- « ndis et vivificandis, et erendis a lupis. » Diony- « sius Carthusianus hæc verba de debito exponit, quod Prælatum, imo unusquisque alius habet ut vitam corporalem pro salute spirituali proximi prodigat, indeque hanc deducit consequentiæ inductionem: « Si ista est ratio boni seu veri pastoris, « nullus prælationis seu curam animarum præsu- « mat optare, vel adipisci, nisi se tanta perfectionis « inveniat. » Venerabilis Beda Christum semetipsum, veluti verorum pastorum ideam proponere

voluisse dicit, dum illos pro aliorum salute vitam suam in discrimen ponere asserit: « Fecit quod « monuit, ostendit quod jussit, animam suam « posuit pro ovibus suis, ostensa est nobis de con- « temptu mortis via, quam sequamur, apposita « forma, cui imprimamur; primum nobis est exte- « riora nostra misericorditer ovibus ejus impen- « dere, postremum vero si necesse sit etiam mor- « tem nostram pro eisdem ovibus ministrare. » Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? ac proinde D. Chrysostomus, *Hom. lxx in Joan.*, iis, qui ad prælaturas aspirant, sequens monitum jure merito præscribit: « Magnum quiddam, » inquit, « dilec- « tissimi, magnum, inquam, est Ecclesie prælatio, « et que multa indiget sapientia, et fortitudine, « qualem Christus proposuit, ut animam pro ovi- « bus ponamus, et nunquam illos desereamus, ut « lupi generose resistamus. » Idem quoque S. Doctor alibi idem huic dignitati onus et pondus annexum his verbis considerat: « Non dixit: « Bonus pastor honoratur et colitur, sed animam « suam ponit pro ovibus suis. Hoc est principatus, « hoc est pascedi scientia, sua negligere, et eorum « quos regit, curam gerere. » Hic pastor mortem gregi suo nunquam intulit, sicut alii pastores non- nunquam facere solent, qui, ut sibi luera comparent, agnos et alia animalia ad macellum mittunt; sed ut Basilus Seleucus optime notavit: « Pastor « pro ovibus tanquam ovem jugulam prebet. » Unde apud Isaiam, *lii, 7*, prædixit: *Sicut ovis ad occisionem ducetur.*

Additiones.

a. — *Ego sum pastor bonus; bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Christus Dominus, pastori bono se comparat, absque dubio, ob summam beneficentiam, quam erga genus humanum ostendit. Jam vero duo homines, insigni charitate et beneficentia præclari, in Evangelio proponuntur, Primus est Samaritanus ille qui cum iter ageret, hominem a latronibus vulneratum invenit: *Et videns eum, misericordia motus et appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. Luc., x, 33.* Alter est noster bonus Pastor. Et tamen Christus Dominus expresse non se comparavit Samaritano, sed bono pastori; non enim dixit de se: *Ego sum Samaritanus, sed: Ego sum pastor bonus.* Hujus rei differentia in eo stat quod Samaritanus cum suum iter faceret in Jerusalem, casu in itinere invenit hominem. At bonus Pastor, profunda sollicitudine et cura, videns ovem errantem, eam quærit per omnia loca, ut ad gregem reducat. Quæ sollicitudo ex multis beneficiendi modis re- hucet, quibus tanquam mediis, ad debitum sui famu- latum nos pertrahit, tametsi ei inobedientes simus et rebelles. S. Antonius de Padua in sermone quodam de filio prodigo, ex S. Bernardo, *Serm. xlviii*

super Cantica, ita scribit: « Septem in me video « misericordias Domini, quas et vos ipsi facillime « invenire potestis in vobismetipsis. Prima est, « que non potest explicari sermone, quam benigna « sit, quam gratuita. Ego peccabam et tu dissimu- « labas; non continebam a sceleribus et tu abstinu- « has a verberibus; prolongabam ego multiplicando « iniquitatem et tu, Domine, pietatem tuam. Se- « cunda est quod a multis peccatis adhuc in sæculo « positum, custodivit me. Quis enim non videat, « quod sicut in multa cecidi, sic et in alia poteram « cecidisse peccata, nisi me Omnipotentis pietas « conservasset? Fateor, et fateor, et fateor, quia « nisi Dominus adjuvisset me, paulominus cecidisset « in omne peccatum anima mea: hæc miseri- « cordiam tangit, quando dicit quod iste prodigus « filius cupiebat saturari de squillis porcorum et « nemo illi dabit; et circum Deus non dabit, cujus « centrum ubique et circumferentia nusquam, quia « non vult dare homini opportunitatem peccandi, « quam optat; libenter tamen demon daret, qui te « posuit ad porcos custodiendos. Tertia est quod « visitavit cor meum et immutavit, ut fierent mihi « amara, que multa dulcia prius erant. Hanc tangit « Salvator, quando dicit quod hic adolescens est ad « se reversus et quod cepit intra se decere: *Quanti « mercenarii in domo patris mei abundavit panibus, « ego autem hic fame pereor? Surgam et ibo ad « patrem meum.* Quarta est quod penitentem mise- « ricorditer suscipit, ut in eorum numero inven- « retur de quibus Psalmus xxxi: *Beati quorum « remissa sunt iniquitates.* Hanc misericordiam « tangit in hoc quod dicit patrem occurrere filio, « cum adhuc esset procul, et eum amplexatum ad « pacis osculum suscepisse. Quinta per quam mihi « continendi deinceps emendationis præstitit virtu- « tem, ut non recidivum pateret, et esset novissi- « mus error peior priore. Hanc misericordiam « tangit in hoc quod dicit eum fuisse calcatum, « id est, mortificatum desideris, ne pes jam lapsus « foecibus immergatur. Sexta est gratia promerendi, « et hæc significatur in annulo fidei, qui ponitur « in manibus, id est, operibus applicatur, quod fit « non propria nostra virtute, sed Dei gratia. Sep- « tima est munus bonæ conversationis. » His quo- que addi potest velut donum et effectus divine bonitatis et protectionis erga nos speciale argu- mentum, si quis videlicet sortiatur sodales quibus- cumque conversetur. Cum enim homo animal sit socia- bile, cum sancto sanctus erit et cum perverso pervertetur.

b. — *Ego sum pastor bonus, etc.* Hoc non tantum parabole sed rei per parabolam denotatæ convenit. Pastor enim ovium materialium plus debet æstimare vitam suam, utpote hominis, quam suarum ovium; unde non tenetur cum evidenti vite suæ periculo servare suorum pecudum vitam.

Si autem id faciant, magno affectu declarabunt se ovibus suis bene attendere. An vero in hoc semper peccent, disputant aliqui. At vero Pastor animarum ex officio teneatur et debeat vitam suam temporalem discrimini exponere pro conservanda vita spirituali sui gregis, ac fidelium sibi commissorum. A supremo Sacerdote Christo, mox relatum dictatum est axioma : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*; ac proinde Sacerdos pro salute animarum, suae animae commissarum, vitam suam exponere tenetur. Unde Doctor Angelicus hanc statuit conclusionem, apud omnes theologos indubitata et a nemine rejecta, videlicet, quod quando spiritualis animarum commissarum salus periclitatur, nullus Sacerdotum curatorum ab eis se subducere possit, tametsi debitum illi subsidium ministrando, propriae vitae periculum incurrat. In ejus veritatis probationem S. Augustinus ait : « Amor in eo, qui pascit oves, in tam magnum « debet spirituale crescere ardorem, ut vincat « etiam mortis naturalem timorem. » Unde quando Christus gregem suum Petro consignavit, non semel sed trines eumdem, an se amaret, requisivit, quia cui cura commissa est animarum, plus amare debet salutem earum, quae Christo inestimabili pretio constituerunt, quam propriam vitam suam corporalem diligat, ac proinde Dionysius Carthusianus merito inquit : « Si ista est ratio « boni, seu veri Pastoris, nullus praelationis, seu « curam animarum praesumat optare, vel adipisci, « nisi se tanta perfectionis inveniat. » Et ideo Divus Chrysostomus omnino necessarium esse existimat, ut hi qui ad munera et dignitates ecclesiasticas aspirant, prius moneantur, ut onus, cui humeros suos subjiciunt, prius diligenter expendant et ponderent; ait enim : « Magnum quiddam dilectissimi, magnum, inquam, est Ecclesiae praelatio « et quae multa indiget sapientia, et fortitudine « qualem Christus proposuit, ut animam pro ovibus ponamus, et nunquam illas deseramus et « lupi generose resistamus. » Jacob Patriarcha, veri pastoris ecclesiastici typus fuit, qui Esau fratris sui adversus se conceptam iram timens in duas familias suam turmas divisit, dicens : *Si venerit Esau ad unam turmam et percusserit eam, aliam turmam quae reliqua est subleabitur*. At vero utram ex his duabus turmis secutus est Jacob? Certe non ultimam secutus est, quae securior erat, sed in primam turmae acie se collocavit; de quo proinde D. Chrysostomus, *Hom. xxxiii ad Cor.*, ait : « Velut propugnaculum eorum quoddam, se ipsum ante caeteros « locans, paratus erat, ferum illum et minas quem « admodum suspiciebatur, spirantem, excipere « prius. » Et ideo tametsi totus clerus, magistratus et universa civitas Mediolanensis, S. Carolo instanti supplicarint, ne tanto vitam suam discrimini exponeret, ipse tamen exemplo suo parochos et reli-

giosos docere voluit, se mercenarium non esse, sed verum pastorem et ideo eorum preces nequaquam admisit. « Si perniciosum est, nautam, » inquit S. Thomas, « navim in tranquillitate deserere, « quanto magis in fluctibus? » Pastor ergo qui curam habet animarum, non vero irrationabilem ovium, multo majori jure quam David, ursis et leonibus opponere se, eosque dilaniare debet, ne grex ejus periclitetur, omnibusque etiam mortis periculis se exponere, ne lupus infernalis ejus devoret oves.

e. — Christus Dominus pastori bono se comparat; pastor enim nullo parci labori, ut ovibus consulat. Sic dicebat Jacob : *Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. *Gen.*, xxxi, 40. Deinde bonus pastor agnos teneros pascit, oves infirmas consolidat, contractas alligat, errantes reducit, omniumque conditioni, qualitati, ac necessitati sese accommodat et aptat. S. Bernardus ad continuam defensionem et assistentiam quam Deus, bonus pastor noster, ovibus suis praestat, se reflectens, *Serm. i in Cant.*, ait : « Quoties tentatio « superatur, aut vitium subjugatur, aut imminens « periculum declinatur, aut laeque insidiantis deprehenditur, aut annosa et inveterata quaecumque « animae passio perfectaeque sanatur, aut multum « diuque cupita et sepius petita virtus, tandem aliquando Dei munere obtinetur, quid nisi toties, « juxta prophetam personat gratiarum actio et vox « laudis, et ad singula quaeque beneficia benedicitur « Deus in donis suis? Alioquin ingratus reputabitur « cum discussio venerit, qui non poterit dicere Deo : « *Cantabiles mihi erant justificationes tuae, in loco « peregrinationis meae.* » S. Bonaventura circa hanc divinam erga nos beneficentiam, devotissimas considerationes conscripsit, ut nos ad gratitudinis obsequium inflammaret : « Considera, » inquit, « quam sollicita sit tanta majestas circa te in « tribuendo beneficia. Modo quo tibi magis expedit, ab aeterno disposuit tibi ea dare, ab aeterno « et semper actualissime cogitavit, et talia tibi « beneficia praordinavit. Ita sollicitus erga te, « sicut circa integrum orbem, vel universitatem « creatoraturum. Ita enim hic magnus Rex tibi et « circa te intendit ac si vacaret singulis. »

d. — Considerandum merito est gravissimum illud onus quod post se trahit omne pastorale officium et ad quid teneatur. Ornamenta autem Aeroni populi Israelitici pastori praescripta onus illud, caeterasque quibus praediti debent esse virtutes nobis indicare videntur. Varia hujusmodi, eaque summi artificii, opulentiae et industrie, praescripta fere ornamenta. Venerabilis Beda attestatur : « Octo generibus vestium Pontifex solebat indui, e « quibus quatuor erant minoris ordinis concessa « sacerdotibus; decebat enim, ut quo majori gradu « insignis esset, eo pluribus virtutum actibus ful-

« geret. » Prae reliquis autem notatu digna singulariter occurrit sollicitudo, quo increata Sapientia dictas vestes in ordine ad texturam, stadium et laborem praescripsit Moysi; ait namque : *Loqueris cunctis sapientibus corde quos replevi spiritu prudentia, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus, ministret mihi*. Circa quae verba hunc instituit discursum Oleaster : « Solet homo vestes sanctificari, si sanctus sit; hic vero versa vice vestes « sanctificant sacerdotes. » Sciendum est neutquam suffecisse Deo naturalem texturam, phrygium, aliorumque artificium, hoc in labore artem, industriam et ingenium, sed supernaturalis scientiae infusionem, ut extraordinaria caperent et humanum intellectum transcenduntia promissis. Quod si ad materiam e qua Deus vestes illas confici, nos reflectere velimus, eam utique ad sacramentum omnino directam fuisse reperiemur, nimirum ut per illam insinaretur spiritus, virtus et sanctitas, qua praediti esse debent, qui illi consecrantur. Quoad harum vestium texturam, Deus sequenti lege prospexit, dicens : *Ipsa quoque textura et cuncta operis varietas, erit ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto et bysso retorta*. Circa quae verba Venerabilis Beda ait : « In una parte, aurum; in altera « hyacinthus, vel alii colores fuerunt, sed omnes « per omnia cum auro contexti. » Mystrium vero, ob quod Deus aurum a nullo aliorum colorum disjungi voluit, idem auctor his verbis expressit : « Quia in actione sacerdotis, nec ad horam aliqua « magnarum virtutum debet intermitteri; sed auro « sapientiae jungatur spei hyacinthus, in superna « erectus et purpura regni coelestis contra vitiorum « bella magnanimus, super cocco his tincto, geminae « dilectionis; bysso retorta, id est, castitate carnis « sacerdos debet esse nitidus. » Ad haec quidquid divinus hic Artifex pro Aeroni ornamento elegit, totum valoris, pulchritudinis et estimationis eximiae fuit; unde idem Beda ait : « Cuncta sunt de « auro pretiosissime coloribus, quia nihil vile, ac « sordidum in sacerdotis ore, vel opere debet « apparere, sed cuncta, » quae agit, loquitur, cogitat, coram « hominibus praelata, et interni arbitrii « conspectui oportet esse gloriosa. » Quod evidenti appareret solum ornatus praecipuos, superhumeralia, rationale, tunicam hyacinthinam, lamnam de auro purissimo, thiarum byssinam et baltheum, ab eodem Deo, tanto cum artificio et magisterio praescriplos, attentius quam nobis licet, considerandi.

e. — Christus Dominus non inquit : *Ego sum pastor bonus*, sapientissimus, qui praelata doctrinae documenta trado; sed, qui dat animam suam. Verus enim superior alios praere debet potius opere ac integritate vitae, quam verbo ac sermonis elegantia. Volens Apostolus Titum discipulum suum, quem in Candia Episcopum ordinaverat, adhortari, ut

gregem a barbaris seductum, ad fidem veram reduceret, plus ei, per vite exemplaritatem, quam per eloquentiae energiam conandum esse inculcat, dicens : *In omnibus teipsum praere exemplum bonorum operum, ut qui ex adverso est veritatur, nihil habens malum dicere de nobis*. Ubi S. Ambrosius subjungit : « Quod ut effici non sit arduum aut « difficile, Magistrum formam esse praecipit. » Quibus verbis, ut idem S. Doctor insinuat, S. Paulus, Tito modum praescribit, quem in eradicandis vitiorum zizanias, plantandisque virtutibus christianis, servare debet : « Ut ea quae docet, » inquit S. Doctor, « quomodo fiant ostendat, ut ii qui profani « sunt et inimici fidei, erubescant, videntes quia « quae verbis docet, vera esse probat factis. » S. autem Anselmus personam Apostoli assumens, ita dictum exhortatur Episcopum : « Ut doctrina tua « sit efficax, praere teipsum exemplum bonorum « operum, id est, ita vive, ut sis omnibus forma « bene vivendi et qui te viderint, legant in operibus tuis velut in libro, quid agere debeant. » Porro Cajetanus, cur Apostolus sollicite adeo Titum extimulari, juventuti ejusdem adscribit; quanto namque adolescentior erat, tanto convenientius erat, ut populum sibi subjectum, potius vitae sanctitate, quam correctionum et reprehensionum auctoritate diligeret. Simile monitum idem Apostolus alteri suo discipulo Timotheo Ephesino Episcopo tradidit his verbis : *Exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*. « Ut « scilicet, » subnectit S. Thomas, « quod verbo « praecipis impleas opere et hoc in locutione; unde « dicit : *In verbo scilicet ponderato, ordinato et « circumspecto*. Item in conversatione exteriori, ut « sicut excellit loco et dignitate, ita et honesta « conversatione. » Cujus praecipi haec principalis est ratio, quoniam Praelati qui imperii sustinent habenas, ubique veluti in societate et comitatu sunt multorum, atque adeo multi, ad eorum sive bonum sive malum exemplum, respective aut salvantur, aut damnantur. Ideoque S. Fulgentius in quadam epistola ad Theodorum scribens ait : « Fit « ut qui sunt in saeculi culmine constituti, aut « secum plurimos perdant, aut secum multos in « via salutis acquirant. »

f. — *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Ecce pastoris officium, quod non est otio vacare sed pro ovibus laborare, etiam usque ad vitae expositionem; ideoque se pastorem dixit, ut Praelatos et superiores esse doceret Pastores et quidem non ad dominium, sed ad obsequium subditorum vocatos. Iluc tendunt et haec verba Domini Apostolis suis dicens : *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*. *Matth.*, xx, 26. Porro advertendum est quod quando Christus perspicuis verbis dixit : *Qui voluerit inter vos pri-*

mus esse, erit vester servus, expressam fecerit servitutis mentionem. Ubi Lucas Brugensis ait: « Plus est servum esse quam ministrum; nam minister liber esse potest, servus autem totus est Domini sui; quiddid habet in bonis sive natura, sive fortuna, totum additum est servituti Domini. » Idque totum in his superioribus specialiter exemplificat, quibus regimen incumbit animarum: « Adeo servitio vestro obnoxium se esse sciat ut quiddid « habet honorum, sive animi, sive corporis, adeo que et vitam suam, ubi fuerit opus, seque ipsum « totum impendere debeat, tutandae salutis vestrae. » Porro prius dixerat: *Sit minister vester*. quasi parum nimis se dixisse videretur, subjunxit: *Erit vester servus*. Unde S. Thomas ambitiosos monet, dicens: « Si aliquis desiderat habere primatum in Ecclesia, « sciat quod illum non est habere dominium, sed « servitatem. » In cuius confirmationem illam adducit ab Apostolo factam declarationem: *Cum essem liber ab omnibus, omnium me servum feci*. I Cor., ix, 19.

g. — Si pastor dat animam, quomodo oves, inermes pecus defenduntur? Quomodo mors ista pastoris potest esse commoda ovibus? nam pereunte pastore, oves destitutae manent, ut lupis tradantur et perimantur; iuxta illud quod ipsemet Christus dicit, *Mth., xxvi, 31*: *Pereuntiam postorem et dispergentur oves*? O ineluctum subsidium et singularis interim protectio! Si enim Pastor e vivis abierit, ejus cadaver in terra jacebit; jacebunt etiam ejus ossa nuda et arida, ejusque sanguis effusus stabit super terram. Tanta est autem vis et efficacia boni pastoris, ut ipsum solum corpus demortuum, ipsaque ejus ossa, vel sanguis effusus, validissime oves custodiant, defendant, ac protegant ab incurso luporum, ut nihil eas ledere, ac mordere valeant, sed ut firmæ ac securæ in Ecclesia permaneant. Reliquiae enim Sanctorum in terra reconditae, ita Ecclesiam, ac ejus filios muniunt et roborant, ut eos nec ledat, nec aliquid nocuum tentum ulla adversitas eis inferat. Electo jam Moysae a Deo exercituum in duces generalium, qui numerosissimo suo exercitu sexcentorum millium, ac plurium militum imperare debebat, eodemque simili existente chronico et hujus historiae Scriptore, credidisset ipsum una relaturum quod Aegyptum relicurus, providisset sibi de sufficienti comaeatu, de omnibus ad praemia committenda necessariis, de equitatu, de machinis bellicis, de strenuis expertisque belli ducibus, denique de omni armorum apparatu; ac nihil horum commemorat, et nihil aliud secum tulisse reperimus praeter ossa Joseph: *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum*. Nolite mirari desuper, etenim Deus noster sua non errante providentia, populos, urbes, provincias et regna, mediantibus reliquis corporum Sanctorum, quae sunt veluti turres et propugnacula protegere disposuerat.

In vita S. Simeonis Stylite legimus quod quando alte insidens columna animam Deo Creatori suo jam reddiderat, populi vicini armati, diu nocturne excubias egerint, attente advigilantes, ne hic thesaurus, et sacrum propugnaculum illis inde subriperetur. Unde corpus illius delatum fuit ad urbem Antiochenam, inde vero Leo Imperator alio transferre illud satagebat; quapropter haec civitas strenue se opposuit, hanc inter caeteras allegans rationem, quod quia civitas non esset cincla muris, nec aliis munita propugnaculis, minime conveniens esset, ut privaretur hoc sacro corpore, quo ab omni hostili incurso securae et tuta esset. Hac ratione convictus Imperator, sacrum ibidem reliquit corpus, sumptuosissimumque in ejus honorem construxit templum. S. Chrysostomus inter encomia S. Pauli Apostoli, cui ille valde intimus fuit, habet haec sequentia: « Hoc corpus urbem hanc munit, quod « quamvis turri innumerisque menibus et vallis est « tutius, et eum isto, corpus etiam Beati Petri. » S. Gregorius Magnus in quadam Epistola sua, haud exiguum nobis addit confidentiam in calamitatibus, et infortunis publicis habendam: « Si gladios « Italiae, » inquit, « et bella formidatis, sollicite « debetis aspicere, quanta B. Petri Apostolorum « Principis in hac urbe protectio est; in qua sine « magnitudine populi et adjutoris militum, tot « annos inter gladios illesi Deo auctore serva- « mur. »

h. — Sapientissimus Dominus, perfecti pastoris praestantiam in eo ponit, quod animam suam dat pro ovibus; quippe cum dicit, quod dat animam, animam ejus libentem et hilarem, in subondis adversitatis et periculis exprimit. Id quod amplius declarans D. Cyrillus Alexandrinus, *lib. VI in Joam.*, ait: « Quicumque bonus pastor, libenter « debet pro ovium salute, animam suam ponere. « Non sufficit, quod animam ponat, adversitates « subeat, sed quod illam et illas libenter, ut hilaris « dator offerat. » Quod enim non libenti, sed reluctanti animo pro Deo susinetur, id vix reputa obsequium Deo dignum, sed lanienam et miseriamini hominis carnificiam. Laniena pene est miseranda, opus poenale et immisissae a Deo tribulationes, perturbatio et reluctante, et prorsus coacto animo pro Deo et virtute pati. Quam igitur exemplo hujus pastoris adversitates, et tribulationes patienter et hilariter sufferendae sunt! De hac materia tractans Gerson, nonnullos introducit theologiae magistros quorum quilibet tribulationi suam attribuit encomium. Unum illorum audiamus: « Sextus magister « interrogat, ob quas causas tribulationes tam invite « toleramus? Cui respondet, quod tribus de causis. « Prima est, quia parum amoris habemus erga « Dominum nostrum Jesum Christum. Secunda, « quoniam parum cogitamus ad mercedem, quam « Deus conferre vult, nec magna commoda inde

« emergentia. Tertia, quoniam parum cogitamus « et sentimus tolerantiam et passionem, quam « Dominus noster Jesus Christus sustinuit pro « nobis. » Hortatur nos Apostolus, ob oculos mentis nostrae ponamus Redemptorem nostrum crucis patibulo affixum et spinis coronatum; quo spectaculo nostros animos excitare intendit ad constantem adversitatum tolerantiam: *Ne fatigemini*, inquit, *Heb., xii, 3*, *animis vestris*, etc. *Recogitate eum qui tantam sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem.*

i. — Anne est ovibus commoda mors ista pastoris, quae destituit oves, quae lupis tradit inermes pecus, quae sic charum pecus ferinis morsibus derelinquit, macello dat, stragibus exponit et atrocissime morti sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte? Quomodo bonus ille pastor, qui sic destituit oves? Imo qui per suam absentiam eos ultronee luporum rabiei committit? Ea scilicet est persecutionis, et tribulationis prosperitas et securitas, virtus et perfectio, ut inde bonus pastor periculis pascat gregem suum, persecutionibus feliciter, et cum lupis servet in custodia virtutis. Ipsa enim tribulatio, tutela est salutis, peccata expellit et virtutes corroborat ac firmat, sanctitatem conciliat et mentes beat. En ergo grande lucrum, meritum, virtus et perfectio tribulationis. Divina bonitas beneficentiam suam vel maxime ostendit tempore tribulationis nostrae, ad eum prorsus modum, quo tempore ardoris et siccitatis terrae nubes aquis pregnantis, terram reddunt fertilem et fructibus abundantem. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis*, dicit Ecclesiasticus, *xxiv, 26*. Quem textum S. Antonius de Padua exponens, sic ait: « Id est, dum « anima tribulatur pro peccatis, infunditur pluvia « gratiae animam refrigerantis et peccata dimittentis. » Ergo ex sententia S. Antonii eximii utpote Ecclesiae luminis, in ariditate adversitatum, infunditur pluvia gratiarum. Quando caecus mundus arbitratur, tribulatos a Deo esse derelictos, tunc vel maxime Deus assistit illis, beneficium se illis exhibet, ac liberalem in distribuendis suis donis et gratis coelestibus. S. Chrysostomus exhortando populum suum ad tolerandas patienter adversitates, inter alia praedicabat: « Cum tribulatione nobis « infinitas coronas accumulatur. » Audiamus S. Laurentium Justinianum: « Sancti viri quot tribulationes patiuntur, tot victoriae palmas merentur « in caelis; sed si tribulationes ipsorum crudeli « miseratione minuuntur, paulatim gemmis corona « ipsorum privatur, quia quanto in hoc saeculo « persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morbi crudelitate fuerint afflicti, tanto « post resurrectionem in futuro majoribus honoribus extollentur. » Si Deus hoc vobis impertiret dono gratiae resuscitandi mortuos ad vitam, haud

tanti illud aestimare deberetis, quanti tribulationem ab eodem vobis communicatam. Audiamus Theophylactum in hac verba Apostoli ad Philippenses, *i, 19*: *Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiaini*; dicit enim: « Forsitan et hoc donum majus est, quam « mortuos suscitare. » Hinc conformis est propositio Divi Chrysostomi, *Hom. v de patientia Job*: « Nihil « melius quam mala pro Christo pati. Si quis me « cum Angelis statuat aut cum Paulo vincito, vincula eligerem. Si quis mihi mortuos suscitare « dederit, non jam id, sed eatenam eligerem. »

j. — Beatus grex cujus pastor Christus est; procul fera rapax a Christi ovili, secure pascitur quem pascit tam bonus pastor. Et inde bonus qui dies, noctesque excubat, ne mala bestia in gregem irruat; quod si irruat, invadit ipse alacer et proprio periculo redimit ovium discrimen. Pulchre S. Chrysologus, *Serm. xi*: « Ideo pro te pastor amorem « probat, quia cum videat ovibus imminere discrimen, cum gregem defendere non possit, mavult « mori, antequam mali de ovibus suis quid videat. » Prae vi amoris pastor vitam suam offert, seque omni periculo exponit ut vae vae sint salve et incolumes. O zelum, quem prae Redemptor circa animarum salutem demonstrat.

k. — Non dubitandum est de bonitate illius pastoris, qui spreto propriae vitae periculo, sui gregis salutem zelat. Bonus idcirco erat pastor Paulus, *II Cor., xii*, qui aiebat: *Ego autem libentissime impendam et superimpendam ipse pro animabus vestris*. Superimpendam ipse, ait, hoc est, nullis parcam sumptibus. Post bona omnia consumpta, seipsum consumendum tradere, est animus. Ad haec accommode S. Bernardus, *lib. IV de Consid.*, ait: « Fue- « runt autem qui se totos ovibus pascentis expo- « nerent, pastores opere et nomine gloriantes, nil « sibi reputantes dignum, nisi quod saluti ovium « obviare putarent; non querentes quae sua sunt, « sed impendentes; impendere curam, impendere « substantiam, impendere seipsos. Unde unus illo- « rum: *Et ego, ait, superimpendam pro animabus « vestris.* » Non solum honorum, sed sanguinis impensis et sumptibus tenetur bonus pastor salutis suorum prospicere gregum, salutisque ovium zelum habere. Non enim explicare licet quam gratus sit Deo zelus impensus in salutem animarum. Psalmo xxvii, Regius Propheta filios Dei nuncupat illos qui hoc modo zelosi sunt: *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nominis ejus*. In conversione animarum Deus collocat suam magnificentiam: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*. Vultisne intelligere, in quo consistebat haec gloria? *Memor ero Babilonis et Babilonis scientium me*. S. Chrysologus, *Serm.* in praefati Psalmi versum, quaerit: « Putasne coelestes taliter appellat iste virtutes?

« Aut homines Dei apti in filios et terrenam
« carnem celestem subleat ad naturam? » Ecce
quantus ei exhibetur honor, qui cooperatur alterius
saluti; unde in progressu sermonis sui exhortatur
nos hisce verbis : « Afferte Domino baptizandos;
« afferte quos fides concepit, non caro; afferte
« quos Dei gratia generat, non mundana natura;
« afferte, afferte quos sponte venire, aut necessitas
« vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat,
« aut tenent vitia, aut delicta remorantur. » Nullus
aut ita ignorans, aut debilis est, qui se excusare
valeat; etenim Ecclesiasticus, xxxi, 17, monet :
« Recupera proximum secundum virtutem tuam. »

VERSUS 12.

*Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus
non sunt oves propriæ, videt lupum venientem,
et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dis-
pergit oves.*

Mercenarius autem.

1. — Jansenius Christum hoc dixisse opinatur,
ut per illa verba argueret Scribas, Phariseos et
Sacerdotes, qui officium suum non ex motivo cha-
ritatis, sed propter interesse lucri adimplebant :
« Verisimile est notasse Scribas, Phariseos et Sa-
cerdotes, qui avaritiæ dediti, gregem Dei non
« tanquam suum, sed tanquam alienum pascebant,
« commodi tantum sui et lucri gratia. »

2. — Venerabilis Beda rationem reddit, cur
talis mercenarius appelletur : « Quia non pro
« amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales
« mercedes pascit; mercenarius quippe est, qui
« locum quidem pastoris tenet, sed lucra anima-
« ram non querit; terrenis commodis inhiat,
« honore prælationis gaudet, temporalibus lucris
« pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia
« lætatur. » Lyranus ait : « Mercenarius dicitur a
« mercede; tales sunt illi, qui superioritates prop-
« ter reditum temporalium emolumentum, non
« vero propter lucrum ambiunt animarum : ille est
« verus pastor, qui attendit ad præmium gloriæ,
« mercenarius autem, qui attendit ad commodum
« rei alienæ. » In Jeremia, vi, 13, scribitur : *A
minimo usque ad majorem omnes avaritiæ student.*
De quo hominum genere S. Apostolus nequaquam
fuit, qui II Cor., xiii, 14, de se dicit : *Non quero
vestra, sed vos.* Et alibi, scilicet I Cor., x, 33, iisdem
Corinthiis ita scribit : *Non quero quod mihi utile est
sed quod multis, ut salvi fiant.* S. Augustinus multos
in Ecclesia Prælatos esse scribit, *tract. xlii in Joan.,*
similes illis, de quibus S. Apostolus dicit : *Sua que-
rentes, non quæ Jesu Christi.* « Quid est, sua que-
« rentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum
« propter Deum querentes, temporalia commoda
« sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus
« appetentes. »

Et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ.

3. — Albertus Magnus ait : « Quia non habet
« curam de ovibus, ut de suis propriis, et ideo gras-
« satur in eis, ut ab eis lucrum recipiat, quando est
« cum ovibus, et lucrum etiam querit cum magno
« ovium periculo. »

Vidit lupum venientem.

4. — S. Augustinus hæc verba declarat, adul-
teri alicujus exemplum adducit, et dicit : « Diabolus
« fideli adulterium persuasit, tu taces, non incre-
« pas : O mercenarie, lupum vidisti venientem, et
« fugisti? » At vero, inquit, forsitan respondebit
se non fuisse, sed in statu et conditione sua firmi-
ter perstisisset. Respondet igitur sanctus Doctor,
hanc fugam non pedibus, sed silentio fieri, id est,
quando correctio negligitur : « Fugisti, quia tacuisti,
« quia timuisti, fuga animi, timor est; corpore
« stetit, spiritu fugisti; » adducitque Apostoli
exemplum, qui utique se non mercenarium sed
pastorem exhibuit *Colos., II, 5 : Et si corpore absens
sum, spiritu vobiscum sum;* « quomodo enim spiritu
« fugiebat, qui etiam corpore abiens, fornicatores
« litteris arguebat. »

5. — Cajetanus per hunc lupum, malorum
morum et exemplorum, falsæque doctrinæ corrup-
telam intelligitur : « Sive exemplo ad corrup-
« dos mores, sive doctrina ad errores fidei, sive
« sævitia contra credentes. » Hugo Cardinalis simi-
liter per lupum, diabolum, vel tyrannum, vel
hæreticum intelligit. Albertus Magnus ait : « Lupus
« super oves venit, cum quilibet injustus fideles et
« humiles opprimit. » Chrysostomus dum se pro
pauperula quadam vidua defendenda, Eudoxie
Imperatrici opposuit, in defensionem minimæ gre-
gis sui oviculæ, pastorem se, non vero mercena-
rium exhibuit.

6. — Quæri hoc loco non incongrue poterit, cur
sapientissimus Salvator noster feras gregem suum
invadentes, lupos potius appellet, quam ursos, vel
leones, cum tamen hi quoque oves rapiant, et
dilandent, ut David pastorelucis reipsa comprobavit?
Respondetur igitur, quod lupi in abscondito gregi
insidunt, non vero aperte, sicut alia fera. Unde
S. Ambrosius, *in c. x Luc.,* ait : « Lupi bestie sunt,
« quæ insidunt ovibus, circa pastores versantur
« casas, habitacula domorum intrare non audent,
« et somnum eorum, absentiam aut desidiam pastoris
« explorant; » ita quoque faciunt, qui animarum
perditioni incumbunt, nunquam enim aperte id-
ipsam faciunt.

7. — Idem quoque sanctus Pater aliam quan-
dam tangit luporum proprietatem, nimirum quod
fauces ovium subito invadant, ut mortem illis infer-
rant, ut nec vociferari, balare, aut pastorem in
auxilium advocare possint : « Lupi ovium guttur

« invadunt, ut cito strangulent. » Idem efficere
conatur in animabus nostris lupus infernalis, illas
namque subito suffocat, et fauces invadit, ne loqui
possint, hoc est, peccatorum impedire satagit con-
fessionem, efficiendo ut nauseam et repugnantiam
erga penitentiam Sacramentum concipiant; scit
namque quod ore sit confessio ad salutem.

Et dimittit oves, et fugit.

8. — Hugo Cardinalis rationem assignat, cur
mercenarius fugiat : « Cujus, inquit, non sunt oves
« propriæ, per curam, sollicitudinem et amorem. »
Vel etiam : « Qui non amat oves, vel commodum
« ovium tanquam proprium, lanam et lac habet
« pro suis, et non oves, id est, animas. Ezechielis,
« xxxiv, 3 : *Lac comedebatis, etc. Dimittit oves,*
« id est, negligit earum salutem, et fugit, id est,
« non occurrat resistendo, vel peccata arguendo;
« fugit, quia mercenarius est, id est, quia querit sua
« commoda; et non pertinet ad eum de ovibus, id est,
« non amat utilitatem earum, » adducitque S. Gre-
gorii auctoritatem, dicentis : « Fugit, quia timuit,
« quia temporale plus æterno amavit. »

9. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib. IX in Joan.,*
ait : « Videt lupum venientem, id est, diabolum ani-
« mahus insidiantem, easque ad mortem æternam
« per diversa scelera pertrahentem videt, inquit, et
« fugit, id est, sub silentio se abscondit; fugit, id est,
« verbum exhortationis subtrahit, ne si lupo resis-
« tat, temporale commodum, quod amat, amittat. »
Nec est, quod tibi persuadeas, monet S. Augustinus,
Ser. xxxix de ver. Dom. Christum dicere his verbis
voluisse mercenarium in pedes se erigere, ut cor-
poraliter fugiat, nequaquam : « Non fugit mercena-
« rius corpore, non enim Ecclesiam deserit, alioque
« abit, sed fugit animo, quia cum præsens sit cor-
« pore, vitiiis medicinam non adhibet, oviumque
« mores non corrigit vigilantem. »

10. — Baronius in Annalibus Ecclesiasticis
quamdam S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini
adducit Epistolam, cujus quædam verba, quia ad
propositum nostrum apte deserviant, hic recen-
senda esse duximus : « Cui dispensatio verbi com-
« missa est, » inquit, « etiamsi sancte vivat, et tamen
« perditte viventes arguere aut erubescat, aut me-
« tuat, cum is omnibus, qui eo tacente perierint,
« condemnabitur, et quid ei proderit, non puniri
« suo, qui puniendus est alieno peccato? »

11. — Hugo Cardinalis hanc fugam, ex mente
S. Gregorii, de omissione correctionis et emenda-
tionis necessariæ exponit : « Fugit, id est, non
« currit resistendo, vel peccata arguendo, quod est
« fugere; » adducit illum textum Jeremiæ, *xlvi,*
21 : *Mercenarii ejus, qui versabantur in medio ejus,
quasi vituli saginati, versi sunt, et fugerunt simul,
nec stare poterunt.* Ezechiel quoque, *xii, 3,* dicit :
Non ascendistis ex adverso, neque opposistis murum

II.

pro domo Israel, cum tamen hoc sit officium Prælati,
opponere se lupo, id est, hæretico, vel tyranno, vel
diabolo, vel peccato.

12. — Beda inquit : « Fugit, non mutando
« locum, sed quia injustitiam vidit, et tacuit :
« fugit, quia se sub silentio abscondit. »

13. — Albertus Magnus ait : « Salvans se et sua;
« fugit enim, quando periculo se subducit. »

14. — Toletus motivum declarat quod Christus
pro causa adduxit, cur mercenarius fugerit, id est,
salutem gregis sui neglexerit : « Quia, » inquit,
« mercedem solam querit; proinde quando pereunt
« oves, ipsi non pereunt, sed Domino, cujus sunt,
« sive ergo vivant, sive pereant; nec lucrum, nec
« damnum ei referunt, quia solam mercedem ex
« custodia ovium habet, propterea fugit et vitæ
« propriæ consult; hoc significat illa phrasia : *Non
« pertinet ad eum de ovibus,* id est, non pereunt in
« damnum ipsis, nec vivunt in lucrum. » His
similes sunt omnes illi Parochi et Episcopi, qui
beneficia curata, et Episcopatus accipiunt, ut red-
ditibus illorum gaudere possint, non vero ut salu-
tem animarum curæ eorumdem commissarum pro-
curent.

15. — Lucas Brugensis advertit quod divinus
hic pastor, cujus in hoc Evangelio sit mentio, pas-
torem mercenarium contemnet et vituperat, non
quod vitam suam minoris æstimet, aut minus curet,
quam animalium irrationalium, qualia sunt oves,
agni et similia : « Sed quod respiciat præcipue
« pastores ovium, ratione præditum, quibus si
« merces temporaria, quam expectant, amplius sit
« curæ, quam salus ovium æterna, ideoque non
« resistunt Satanae, et ejus ministris. »

16. — Rupertus Abbas objici huic doctrinæ
posse dicit, quod, ex quo in alio Evangelii loco,
Matth., scriptum sit : *Si vos persecuti fuerint in una
civitate, fugite in aliam;* pastor ille condemnari non
possit, qui per fugam vitæ suæ consili; at vero
respondet : « Tunc irreprehensibiliter pastor fugit,
« quando aperta persecutione furis, hæretici, sive
« lupi diaboli, per gentilem potestatem malitiam
« suam exercentis, pastor ipse queritur, ut oves
« ejus præsidio destituatur. » cum enim tunc fuga
ad gregis ordinem salutem, licita utique est et
expediens; non vero quando propriam vitam salutem
publicæ præferre satagit.

Et lupus rapit, et dispergit oves.

17. — Toletus observat quod lupi nomine non
solum hæretici, tyranni et Ecclesie persecutores
intelligantur : « Sed quicumque, qui fideles a justi-
« tia avertere conantur, qui timorem aliquem sua
« potentia Prælati incurrere solent; sed non satis
« est pastoribus, si non fugiant lupos, quando
« terrentes invadunt, sed adhuc cavere debent, ne
« cum lupis amicitias inane in ovium detrimen-

« tum; » in cujus probationem quamdam ex Anacleti Papæ Epistola quadam, que in ordine prima est, sententiam adducit, qua dicitur : « Turpe profecto est pastoribus, lupos habere amicos in suorum ovium damnum. »

18. — Venerabilis Beda dicit quod quando pastor, cui super salute gregis sui vigilare incumbit, ad nihil aliud quam ad utilitatem propriam attendit, summe gregem lupis in prædam fieri permittit, grex ille paulatim ut intereat, necessum sit : « *Lupus rapit et dispergit oves, cum alium ad luxuriam pertrahit, alium in avaritiam accedit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit; hunc invidia stimulat, illum in fallacia supplantat; quasi ergo gregem lupus dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat; sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur; unde et mox adjungitur : Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus; ac si aperte diceretur, stare in periculo ovium non potest, qui in eo, quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quaerit, dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum « trepidat, ne quod diligit amittat; » quod idem fere etiam in S. Gregorio legitur.*

Additiones.

a. — *Mercenarius autem videt lypum*, etc. S. Augustinus, *Serm. xlix de verbis Domini*, ait : « Non fugit mercenarius corpore; non enim Ecclesiam deserit, alioque abit, sed fugit animo, quia cum præsens sit corpore, vitibus medicinam non adhibet, mores non corrigit vigilantem. » Est certe vera et noxia fuga; correctio enim neglecta fovet omne vitium et malum exemplum : prudenter autem adhibita, multum fructum affert. Est enim velut ferrum chirurgicum, quod feriendo medelam confert; ubi etiam ostenditur, quod in culpa aliena participet, qui vitium, dum potest, non corrigat et emendat. Beatus Humbertus virgam Moysis que in terram projecta, in serpentem conversa fuit, considerans, dicit : Per virgam ut omnibus notum est, reprehensio vel correctio præfiguratur, quæ dum a superioribus in terram abijcitur, id est, contemnitur et negligitur, inde subito multi vitiorum et scandalorum venenosæ serpentes nascuntur : « Nam ubi deest correptio, abundat peccati corruptio; unde qui odit correptionem, amare videtur corruptionem, nempe, propter quod qui hic non corrigitur, in futuro damnabitur. » Quinam omne malum quod habentur in genere humano immundavit, suum a neglectu correctionis originem habere credat? Et tamen projecto ita se res habet. Quia enim Adam

conjugem suam contra prohibitionem divinam manum suam ad pomum deceptum, faucesque ad illud comedendum aperientes videns, eandem nec reprehendit, nec coercuit; et quia eandem post manducationem pomi ad seriam poenitentiam non induxit, neque invidi serpentis deceptionem, offensamque Dei gravitatem ei ob oculos posuit, hic tam utilis officii neglectus eidem Adamo causa fuit, ut ipse tanto majori cum facilitate in idem præceptum corrueret. Nam ut Cajetanus ait : « In hoc insinuat facilior aditus mulieri datus ad persuadendum viro, qui præsens neglexit illum cohibere. » Si enim Adamus Evam increpasset, eique asperè cujusdam correctionis virgam adhibuisset, illa utique ipsum in eandem transgressionem inducere minime presumpisset. Sancti Doctores de neglectu, vel etiam dissimulatione correctionis fraternalis disserentes, eos qui illam intermittunt haud secus, ac eorumdem peccatorum, quæ in impiis hominibus reprehendere debebant, reos et participes reprehendunt. Sic S. Bonaventura, in libro qui *Pharetra* intitulatur, inter alias sanctorum Patrum auctoritates, S. Bernardum citat, dicentem : « Nemo, fratres, vitia palpet, nemo dissimulet; est enim consentire, silere, cum arguere possis et scimus quia similis poena facientes maneat et consentientes. » Doctor Anglicus, II, II, q. 33, art. 2, S. Augustinum citat, qui *Serm. xvi de verb. Dom.* ait : « Si neglexeris corrigere, pejor eo factus es, qui peccavit. Hoc autem non esset verum, » inquit S. Thomas, « nisi per hujusmodi negligentiam aliquis præceptum omitteret. » Peccato igitur mortali animam suam commaculat, qui dum potest et debet, maculas culpabiles, et reprehensibiles, correctione mediante, a proximis suis abstergere renuit.

b. — Pro pastore Deus intelligi potest, cujus oves sunt qualibet cujusque hominis anima, utpote quæ a Deo creata totum sum esse habet ab illo. Dum vero lupus infernalis illas per peccatam aliquod sibi rapit, non fugit pastor ille sicut mercenarius, sed magna illis auxilia et gratias offert, ut illas ex faucibus demonis iterum eripiat. S. Laurentius Justinianus asserit tunc impium, quando vel maxime Deo ingratus rebellisque vivit, quando eum vel impudentissime offendere, inque malitia sua persistere satagit, singularibus, quandoque præveniri Dei, ipsum ad poenitentiam vocantis et expectantis misericordis : « Te resistente, » inquit, « prævaricanti te, fugiente, expectavit patienter, ut poenitentiam ageres. » Sed D. Augustinus iterum qualiter in meditationibus suis præterita effraeniam juvenutis sue tempora sibi nobisque ob oculos ponat, audire juverit : « Ego te irritavi, » inquit; « ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui, peccavi et passus es; deliqui et adhuc sustines. Si poeniteo parcis, si revertor me suscipis;

« si differo præstolaris. Revocas errantem, vincis repugnantem, expectas torpentem amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mulces moerentem, a ruina suscitatis, post lapsam reparas, petenti largiris, quaerenti inveniris, pulsanti aperis. »

c. — Sub hoc typo lupi ovem invadentis, intendit Dominus explicare summum malum, quod diabolus in anima fidei patrat. Lupus enim inter cetera animantia hoc habet, ut ovis guttur primum apprehendat, nec ei genere aut signum suæ miseriam edere permittat; sic et diabolus cum maximum malum parat homini, guttur invadit, ut vocem adimam, ne confiteatur peccata sua, aut in confessione loquatur et gemat, ut salutem assequatur et reviviscat. Multoties Salvator noster mutis beneficium impertit loquelæ, qui simul etiam demoniaci erant; ita nobis S. Lucas, xi, 14, attestatur dicens : *Erat ejiciens demonium, et illud erat mutum.* Et S. Marcus, vii, 32 : *Adhuc ei surdum et mutum, quem Albertus Magnus ait a diabolo obsessum fuisse arbitratur.* Cur obsecro, malignus spiritus linguæ potius quam alterius membri beneficio miseris privat? Responsum accipite a Didaco Stella : « Efficit mutum hominem demon, ut nequeat Sacerdoti confiteri sui peccata. *Adhærere, inquit Deus per Ezechielem, iii, 26, linguam tuam palato tuo et eris mutus.* In palato residet gustus; linguam adhaerere palato, est voluptatem capere et in peccato gaudere. » Doctissimus Salmeron inquit : « Mutus est peccator, qui non confititur ob demonem, qui ut fortis armatus possidet castrum cordis et portam per quam est expellendus claudit. » Ubi et idem auctor modum perpendit fraudulentum serpentis, qui nos mutos reddere consuevit, ideoque subdit : « Pudore infandorum criminum et impunitatis sollicitatione, et ipso longioris vite, et confessionis suo tempore faciende, tanquam pessulo quodam clausi ostium. »

d. — S. Augustinus instinctum persequens lupi : « Ecce, » inquit, « lupus guttur ovis apprehendit. » Hoc est prima lupi infernalis adversus animam operatio, scilicet os, seu guttur occludere. Cujus lupine proprietatis hanc Salmeron dat rationem : « Ne clamet, scilicet ovis et clamore suo canes excitet. Ita demon hoc molitur et in hoc insidias struit, ut peccator, ne per orationem ad Deum fusam, nec per detectionem delicti apud Sacerdotem, neque per petitionem consilii, criminum sua ad salutem consequendam declaret. » Id quod et Ambrosius in hæc nobis verba proponit : « Lupi ovium guttur invadunt, ut cito strangulent. » Hoc si obtinuerit demon, prædam certo intercepti, *quia ore confessio fit ad salutem.* Optimum igitur remedium contra hostiles assultus atque insidias est frequens oris apertio : *Locutus est mutus; frequens conscientiae examen : Cum dispositione*

invitit bellum, inquit Sapiens, Prov., xxv, 6, et erit salus, ubi multa consilia. Sine pavore luditur hostis, cujus innoteret stratagemata, cujus manifestate sunt insidiæ.

e. — Et lupus simul et desperio merito introducitur, quia qui divisiones movet, hic lupus est, Deo invisus, ab ejusque spiritu alienissimus. Super id, *Prov., vi, 12, legitur : Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum et in omni tempore jurgia seminat.* Sic commentatur D. Gregorius, in *Pastor.* III, xxiv : « Ecce quem seminantem jurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit, quia nisi more superbientis Angeli, a conspectu Conditoris primo intus aversionem mentis caderet, foras post modum, usque ad seminanda jurgia non veniret. » Et ideo nec Pastor nec ovis est, sed lupus, sed Deo contrarius, sed diabolus, quisquis divisiones miscet. Ille enim infernalis lupus, ut rapere possit, dissensionem seminat; hoc ejus opus est, qui ideo pacem, quia hæc illi bellum movet eumque vincit, odit. Lupus infernalis ut bonas rapere possit animas, seminat inter illas dissensiones, disgregat, dissipat et disperdit unam ab alia, ut hæc ratione ejus potestati se tanto facilius submittat, illamque ipse possidet. Aquila quidem et milvi, seu accipitres, strurns, columbas, aliasque volucres quantumvis nullam se illis oppellendi vim habeant, attamen quamdiu gregatim unitæ simul volant, easdem aggredi nequaquam audent, quemadmodum id liberiter faciunt, quando singule seorsim et ab aliis separate volant. Eodem modo accipiter diabolicus omnem nocendi animam deponit, quando nos unanimes esse videt et concordantes. Advertendum quoque antiquum hunc adversarium, prout ex doctrina Nazianzeni colligitur, non solum nobiscum confligere aperto Marte per insultus manifestos, verum etiam per insidias occultas, in obscuritate et quiete noctis, id est, nobis id minime advertentibus, zizania sua seminando : « Secum enim ipse pugnat, et ut ab initio homicida, bonique odio percutit, hoc ipsum in aliis operatur » ut commune Ecclesiam corpus in oculo sagittet, sub seditiosis caligine sese occultans. » Porro omnibus nota est famosa illa Jobi historia. Postquam enim demon postulatum a Deo obtinisset licentiam, quis illum Jobo in illa potissimum parte plagas suas inflicturn fuisse non credidisset, ubi majori sensu præditus erat, id est, per omnium florum et filiarum simultaneam mortem? Et tamen ictum hunc post omnium facultatum et divitiarum illius jacturam sibi reservavit. Quod eo præcipue mysterio ipsum fecisse credo ut scilicet de unione et concordia qua cum illo quotidie simul convivere observaverat, se vindicare posset; hæc enim illum acriter transfigebat; neque enim illis unquam quantumvis minimum damnum inferre